



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola IX. Alexandri Papae III. Ad Evmdem. Eum angustiis pressum
consolatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

250 ALEXANDRI PAPÆ III.

dignitates ecclesiæ tuæ, necessariam diligentiam adhibe-
bimus & cautelam, quam conuenit adhibere. Datum Se-
nonis IIII. Nonas Martii.

EPISTOLA IX.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

Eum angustiis pressum consolatur.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantua-
riensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

QVONIAM dies mali sunt, & multa sunt pro qualitate
temporis toleranda, discretionem tuam rogamus,
monemus, consulimus, & suademus, vt in omnibus tuis &
ecclesiæ agendis te cautum, prouidum & circumspectum
exhibeas, & nihil propere vel præcipitanter, sed mature &
grauiter, facias, ad gratiam & benevolentiam illustris regis
Anglorum recuperandam, quantum salua libertate ec-
clesiæ & honestate officii tui fieri poterit, & enitaris modis
omnibus & labores, vt vsque ad proximum pascha eum-
dem regem sustineas; ita quod nihil in eum vel terram
ipsius vsque ad præscriptum tempus studeas exercere.
Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, & tam tu
quam nos tutius poterimus in facto ipso procedere.

EPISTOLA X.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

De immunitate ecclesiastica non violanda: & clericis ad
tribunal sæculare non trahendis.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri An-
glorum regi salutem & apostolicam benedictionem.*

ETSI circa nos & matrem tuam ecclesiam sacrofan-
tiam filialis in te deuotio aliquatenus videatur tepui-
se, paternum tamen affectum circa te vel regnum tuæ gu-
bernationi commissum nullo tempore deseruimus. Tua
ergo serenitas, quod amici verbera potiora, quam inimici
oscula existant, diligenter aduertens, consideret studiosius